3. 2.555

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

TENTAMINA

MEDICO - CHIRURGICA

DE FELICI IN QUIBUSDAM

ANIMANTIBUS UTERI

EXTRACTIONE

DEQUE PARTIUM REGENERATARUM
ET CICATRICIS NATURA

AUCTORE

JOSEPH CAVALLINIO

IN REGIO FLORENTINO NOSOCOMIO
CHIRURGIÆ CLINICÆ MAGISTRO
ATQUE HISTORIOGRAPHO

FASCICULUS PRIMUS.

FLORENTIÆ · MDCCLXVIII.
Apud JOSEPHUM ALLEGRINI, & SOCIOS.

CENSORIBUS APPROBANTIBUS.

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRISSIMO AC MAGNIFICO

JOHANNI GEORGIO DE LAGUSIO

CONSILIARIO AULICO

ET

MAGNI ETRURIÆ DUCIS

MEDICO PRIMARIO

JOSEPH CAVALLINI

S. P. D.

EN Tibi prodeunt, VIR ILLUSTRISSIME, ac PRÆSTANTISSIME, ex illis nonnulla, queis veluti ſta-

Digitized by Google

minibus Operis mei Chirurgici jampridem ſuſcepti Theoretica partim jam edita, partim mox edenda ſupertexui. Ea Tibi nuncupandi mens fuit non ſolum ut aequiſſimum Judicem, ſed & Patronum haberem benevolum contra cenſoriam illorum malignitatem, quibus alienae fortunae, & cognitionibus moris eſt obluctari. Id praeſtare vales tum ob nominis Tui celebriratem, quâ abunde ſatis ab invidiae morſu incolumes ſervantur quicum-

que

Digitized by Google

que tuo gaudent patrocinio, tum ob auctoritatem illam, quae Tibi a SUMMI PRINCIPIS REGIÆQUE DOMUS valetudinis tutelâ accedit non levis. Ne pigeat igitur, VIR CLARISSIME, tenue munuſculum, obſervantiae erga Te meae, monumentum excipere, atque eâ quâ ſoles benevolentiâ me in poſterum fovere. Vale.

Dabam Florentiæ X. Kal. Sextil. An. MDCCLXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

QUæ vides, Lector Humanissime, *non ad vanam Philoſophicæ indaginis oſtentationem, ſed ad utilitatem tamtummodo credas velim conſcripta. Non immemor tentamina in vario animantium genere patrata maximam* Anatomiæ, *&* Chirurgiæ *lucem attuliſſe, hæc potiſſimum ad poſtremæ hujuſce artis utilitatem, proſequi non dubitavi, cujus quidem laboris numquam me penituiſſe fatear. Ab his namque*

Digitized by Google

problemata nonnulla Chirurgica reſoluta ad partium demolitionem & cicatricem pertinentia, diſquiſitiones autem de partium regeneratione, earumque ſenſibilitate promotas nemo non neget; quæ omnia in Voluminibus de Re Chirurgica conſcriptis extant. Exiguum quidem habes opus, ſed & hoc non ſine labore natum, doloris, horroriſque plenum dum innocui animantes humanæ ignorantiæ pœnas luere coguntur; inhumanum quidem, ſed præ humana utilitate neceſſarium! Et hoc potiſſimum in cauſa fuit cur a vernaculo ſermone, quo in cæteris uſus ſum, in hiſce conſcribendis receſſerim, amabilis præſertim ſexus in immerentem jurgia, ac rudium hominum iniqua, ut ſolent, veritus judicia. Hæc favente Deo & Principis munificentiâ, ſedulus

pro-

Digitized by Google

proſequar, Faſciculoſque de his identidem conſcriptos publici juris faciam, quos æquitas tua non deſpiciet, & ſi non omnia enucleata penitus, nec ad ſummum redacta videas, illud in animum advertas tuum jubeo, quod.

Eſt aliquid prodire tenus, qua non
datur ultra. *Vale.*

Digitized by Google

DE UTERI

IN QUIBUSDAM ANIMANTIBUS

EXTRACTIONE FELICITER PATRATA

GENUS humanum in duos, quemadmodum cætera fere omnia animantia, ſexus diſtribui notiſſimum. Notum quoque in nulla fere alia corporis parte multum diſcriminis intercedere femineum inter virilemque ſexum, ſi illas excipias, quæ generationi inſerviunt, quas inſigniter dif-

ferre

Digitized by Google

ſerre inter ſe tum externâ corporis formâ, tum intimâ viſcerum fabricâ cuique patet obſervanti.

Uterum habet ſequior ſexus in mediâ *Pelvi* locatum, duplici ligamentorum genere, latis-ſcilicet, quibus *Tubæ*, & *Ovaria* quoque involvuntur, & teretibus fulcitum, *Veſicæ Urinariæ*, atque Inteſtino *Recto* intermedium, ac ope telæ cellulosæ per univerſum cervicis ambitum, & ultra aliquando illis adhæreſcentem. Cervix autem *Uteri* paulo ſupra os internum *Vaginæ* connaſcitur, quæ & ipſa *Veſicæ* celluloſitate, atque *Urethræ* ſubſtantiâ anterius firmata, poſterius vero *Recto* inteſtino ad *interfemineum* uſque connexa (1) *Uterum* ſuperincumbentem ſu-

(1) Vid. Galen. de diſſec. Vul. c. 4. Bahuin. pag. 120.

ſuſtinet, firmatque adiuvantibus ligamentis ne per Abdomen nimis licentioſe vagetur. Cæterum liberum ideo eſſe *Uterum* nemo non negaverit expertus (1) quin & *Ovaria* aliquatenus & ipſa ſoluta oberrare poſſe, (2) & in *Inguina* aliquando prolabi obſervatum eſt. (3)

Conſtat autem *Uterus* carnoſâ unâ ſubſtantiâ, in varia ſtrata ſeparabili, molli, ſpongioſâ, fungoſâ (4) mirum in modum diſtractibili, nec minori tamen contractibilitate donatâ; Hanc exterius undequaque obducit valida Tunica

(1) Vid. Drelincurt. de Uter. Kerkring. obſ. 20. Graaf. p. 209.

(2) Vid. Riol. p. 184.

(3) Parſons of the Bladder p. 141.

(4) Arant. de fœt. pag. 3. Barth. pag. 262. Verhejen. pag. 127. Nortwkyck Anat. Uter. p. 12. Plazzoni pag. 127. & clar. Illuſ. Moſchati Serm. 10.

Digitized by Google

nica a *Peritonæo* ortum ducens, quæ ad *Ovaria* uſque protenſa, lata conſtituit Ligamenta. Lævis hæc, & lubrica exterius, intus vero inęqualis, & rugis undique conſperſa, quibus ſolummodo *Uteri* interiori propriæ adhęret ſubſtantiæ (1).

Nerveas ad hæc loca propagines potiſſimum tranſmittit Magnus Nervus *Sympathicus*, ſeu *Intercoſtalis* (2) ex octavo Pare, unde mira illa Abdominalium Viſcerum cum *Utero* obſervata conſenſio: et cæphalicorum morborum in Abdomine reſidens cauſa. At ex *Vertebris* lumborum, & foraminibus *Oſſis* quod *Sacrum* vocant (3) erumpunt nervorum ſurculi, & quidem magnâ copiâ qui *Vaginæ* præſertim

tim

(1) Vid. Veſal. Anat. cap. 28. de Utero.

(2) Vid. Winslow. n. 623.

(3) Idem 623.

Digitized by Google

tim ſeſe inſerentes, ac nerveam quaſi telam ibi conſtituentes exquiſitum producunt ſenſum, caute ibi a natura locatum, ut dulci lænocinio feminas ad Veneris illęcebras compelleret.

Vaſa habet *Uterus* arterioſa *ſpermatica* dicta ab *Aorta* derivantia, quæ minoribus ſurculis ad *Ovaria* miſſis in flexuoſas admodum per *Uterum* diſtribuuntur propagines, ibique cum ramis ab Hypogaſtricis, & Hęmorrhoidalibus derivatis (1), mutuis, & frequentibus anaſtomoſibus coniuncta excernendo menſtruo ſanguini, Fœtuique nutriendo inſerviunt, tandemque in ſocias venas abeunt.

Hæ Venæ imperceptibili ab origine ſenſim ſe expandunt prout major fit in illas Vaſorum concurſus, ac denuo in *Cavam* ſe ſe ſanguine refluo exonerant.

(1) Vid. Graaf. pag. 214.

Digitized by Google

Genus verùm aliud Vaſorum ad *Uterum* conſtituendum concurrit, nec quidem ſpernendâ copiâ; Lymphatica inquam Vaſa in Brutis maxime conſpicua (1) queis junguntur, & lactifera dicta (2) per univerſam *Uteri* ſubſtantiam perreptantia, ſive ex arteriis ſanguiferis, ſive a circumſtantibus partibus illuc directe proveniant, quæ quidem magnam Viſceris portionem conſtituere dicendum eſt, quemadmodum ex ſecti *Uteri* non praegnantis albedine coniicitur.

Ex hac Lymphaticorum vaſorum copiâ mollem, pulpoſam, totamque vaſcularem *Uteri* ſubſtantiam texente, haud diffi-

(1) Nuckiu. p. 75. f. 23. Malpighi Epiſt. ad Spon. pag. 26. Vieuſſen. p. 14. Diemerbroek. 209. q.

(2) Vid. Winslow. g. 623.

difficulter morborum indoles elicitur, qui per hanc provinciam ſæpius graſſari conſueverunt. Licet enim inflammatoriae indolis morbis ſit obnoxius, quum ſcilicet omnis fere generis vaſa ſanguini dicantur, uti in geſtatione, partu, & puerperio, frequenter tamen chronicâ malorum indole tentatur, quâ in lapideæ duritiei Scirrhoſam molem converſam *Uteri*, & *Ovariorum* ſubſtantiam ſæpe fuiſſe innumeræ teſtantur hiſtoriæ (1).

Hujuſmodi autem generis morbos fruſtraneam quamcumque curationem reddere quiſque novit, qui Medicinam vel a primo limine ſalutarit; hinc facilis ab

(1) Vid. Hipp. de Mul. morb. lib. 2. cap. 38. Aegineт. lib. 3. cap. 68. Paræus lib. 24. cap. 41. Hild. obſerv. Chir. cent. 1. cap. 65. 66. 67.

hoc contumaciſſimo affectu greſſus ad alium longe acerbiorem, qui a Græcis καρκίνωμα, a Latinis analogo vocabulo *Cancer* nuncupari conſuevit.

Hujus autem depaſcentis morbi malignam indolem, ſæviſſimos cruciatus, atque irreparabilem denique perniciem, ſive ſuis cancer contineatur involucris, ſive his perruptis ulceroſus evadat, quicumque noverit, miſerrimam fœminarum conditionem, vel hac una de cauſa fateri non dubitabit.

Et quantum conijcio, id unum in cauſa fuit, cur ſapientiſſimus *Antonius Cocchi* Præceptor olim meus, & familiaris, diu multumque de utili pertinaciſſimi hujus morbi curatione inſtituendâ cogitaverit, dum matronam nobiliſſimam a *Canceroſo Utero* per annum, & ultra miſer-

rime

Digitized by Google

rime diſcruciatam, atroci tandem hoc mali genere, remediis omnibus irritis, occubuiſſe doleret quam maxime: cumque a Diætetico, & Pharmaceutico fonte fruſtra hanc auctores quæſiviſſe intellexerit, ad Chirurgiam tanquam ad aram confugiendum ratus, in hanc ſententiam inciderit, ut ſcilicet in variis animantibus tentamina ad *Uteri* demolitionem pertinentia inſtituerentur, quæ fortaſſe poſſent aliquando in hominum commoda transferri, atque id mihi muneris demandarit.

Quamobrem hanc experimentorum ſeriem, diverſis temporibus, prout illis vacare licuit, conflatam in unum colligere, & publicâ luce donare operæ pretium duxi, optimi viri vitâ licet functi monitorum non immemor, cum interea a-

Digitized by Google

nimum adderent Celebres in hac Urbe Clinici, necnon Illuſtres viri, queis liberaliores Artes cordi ſunt, nonnullique alij Phyſices, & Chirurgiæ Iuvenes Studioſi, qui omnes, pro eâ quâ ſunt benignitate, hæc mea tentamina utili præſentiâ decorare, opemque etiam in ipſa adminiſtratione ferre non ſunt aſpernati.

Cum autem *Uteri* fabrica in brutis ab humana plurimum differat, ut feliciorem eventum operationes in Vivis Canibus praeſertim inſtituendæ conſequi poſſent, Canem fœmellam recens emortuam magnitudinis plus quam mediocris, ætatis adultioris jam ab an. 1760. ſecui, ut Viſcerum huc ſpectantium ſitus, figuras, nexus probe noſcerem, quæ ita ſe habere deprehendi. Diſſectis integumentis abdo-

do-

dominales muſculi, quos in homine in aponeuroſim vulgo *lineam albam* tendineis expanſionibus colligi notum eſt, fibrarum faſciculis ad utrumque latus decuſſatis, unum fere in medio *Hypogaſtrio* muſculare ſtratum conſtituebant. Diſciſſo inde *Peritonæo*, *Veſicâ* Urinariâ, quæ princeps apparuit ampla ſatis, lotioque diſtenta, depletâ, atque ad latus de induſtria leviter declinatâ, oculis occurrebat *Uterus* in tota dimenſione pulchre ſpectabilis, in duo ſatis longa undulata cornua dehiſcens, quemadmodum in aliis fere omnibus Viviparis Quadrupedibus. Hujus inferior pars, qua in Clauſtrum abit Vaginale cum Veſicæ collo validiori ex cellulari involucro cohærebat, ſuperior vero bifida in memoratos ſaccos, ſeu cornua

Digitized by Google

diviſa tenuiſſimo velo pariter celluloſo, adiacentibus locis, ſubiectis potiſſimum inteſtinis in reſupino animalis ſitu, apponebatur. Vaſa vero majora pervadebant *Uterum* ad cornuum extrema, quorum finis in *Tubas* exiles ad *Ovaria* uſque pertigentes adtenuabatur.

Hiſce itaque in anteceſſum animadverſis ad primordiale tentamen in viva Catella ita ventum eſt. Ligatis femoribus, atque humeris, dorſoque per zonam Truncum omnem vincientem ad tabulam firmato, ita ut jaceret ſupina, dein ligno ad fraeni morem mandibulis interpoſito ut a morſibus caveremus, firmatoque item capite, in regione *Hypogaſtrica* vulnus inflictum eſt ab arcu *Pubis* per medium abdomen ad quatuor pollices protenſum. *Integumentorum* ſectionem

Digitized by Google

nem magni animalis conatus, & ejulatus ſunt ſubſequuti, quibus increſcentibus prout vulnus augebatur, erupere *Inteſtina*, ſed hiſce cito in cavitate repoſitis, quies aliqua ſuborta. Quâ arreptâ occaſione, atque *Utero*, quem prius immiſſâ per *Vaginam* fiſtulâ firmaveram a *Veſicæ* Urinariæ & *Inteſtinorum* adhæſionibus ſoluto, ipſius collum, qua magis ad *Vaginam* appellit ligavi, ne poſt illud exectum *inteſtina* per pudenda prociderent. Hiſce qua licuit celeritate patratis, cervix *Uteri* ſupra vinculum ſecta eſt, fundum autem, ſive cornua prope *Ovaria* nullis praemiſſis ligaturis abſciſſa. Tum, ne quid aeris appulſus læſionis inferret Viſceribus, omnis cura fuit, ut labia vulneris, Integumentis, atque Muſculis compoſitis per ſuturam quam citiſſime

firmarem. Qua rite peracta, & a vinculis cane liberata, ſtatim incedere ac lingua vulnus lambere, a nobis quaſi hoſtibus ſe ſubripere, oculiſque furore micantibus circumſpicere infelix animal; tandem in cubiculo clauſum reliquimus, neceſſario victu quotidie exhibito, quo tamen parciſſime primis diebus, & præſertim tertio utebatur. Septimo autem die vulnus cicatrice obductum obſervatum eſt, qua de cauſa Canis ruſtico cuidam viro tradita, qui illam apud ſe retineret nobis poſtulantibus reſtituendam. Incolumem autem diu vixiſſe conſtat, & tantummodo cum Pueris lubenter verſari ſolitam, a conſortio adoleſcentum abhorrhuiſſe, illatæ nondum oblitam injuriæ.

Experimentum hoc deinceps in aliis quatuor canibus variæ magnitudinis re-

Digitized by Google

renovatum eumdem prorſus felicem habuit eventum; unâ namque exceptâ, quæ ob ſauciatam negligenter inter agendum *Veſicam urinariam*, huius inflammatione periit, reliquæ omnes paucis diebus quieti, & abſtinentiæ conceſſis, probe conſolidato vulnere, alacres vixiſſe, omnibuſque, ut antea, vitæ muneribus obeundis, unam ſi demas fœcunditatem, pares extitiſſe pro rato, compertoque habuimus.

At non in Canibus tantum quievit ſaeva quidem, ſed utilis tentandi libido, Oves etiam duæ, ſuperius deſcripto experimenti genere tractatæ, ſimilem exitum exhibuere, verum quæ primum ſectionem paſſa fuit, poſt ſeptem elapſos dies nondum ſanato vulnere, dum domum omnem circuiret, forte

Digitized by Google

te per ſcalam in præceps ruit, quo lapſu tota vulneris ſutura disrupta eſt, appulſuque aeris ad interna, inflammatio, tumor, gangræna, mors brevi tempore invecta.

Superiori vero elapſo anno, cum Regia Sereniſſimi Principis liberalitas præcipua commoda, & ſupellectilem pro Chirurgicis experimentis in Magno Noſocomio mihi decreviſſet, de reſecando *Utero* tentamina iterum ſuſcipienda curavi, adſtantibus de more Illuſtribus viris Medicinam facientibus, & amicis nonnullis.

Itaque Canem rurſus ſolito vinculorum apparatu firmatam, velamine obductis oculis operationi ſubieci, vulnus vero non juxta medii *Hypogaſtrij* directionem, ut alias, ſed in ſiniſtra laterali

rali parte ab arcu *Pubis* oblique ad ſpurias proxime coſtas aſcendendo inieci, atque *Uterum Specillo* firmatum, duobus digitis ſiniſtræ manus apprehendi, ut vinculum cervici iniiceretur, mox dexterâ manu a tenui ſuperius deſcripta adhæſione ſolutum reſecui. In hoc animali ingentes fuere contorſiones, & ululatus, unde pleraque inteſtinorum per vulnus erupere, ita ut de felici exitu ſuſpicarentur circumſtantes, quod tamen non vetuit, quin ſeptem minutorum intervallo repoſitis inteſtinis, operatio tota, conſuto vulnere fuerit abſoluta. Canis per duos jacuit dies, ciboque abſtinuit, priſtinam exinde adepta hilaritatem, feſtivo caudæ motu tranſacti infortunii auctoribus plaudens ſexto die penitus convaluit.

Eodem.

Digitized by Google

Eodem fere tempore de aliis tribus Canibus experimenta eâdem methodo ſumpta, ſimilia prorſus obſervanda præbuere. Omnes enim intra duodecim dies cicatrice obductâ optime convaluiſſe, & pancratice vixiſſe viſæ ſunt.

At ne quidquam ad abſolutam hujuſmodi Tentaminum effectuum ideam aſſequendam deſideraretur, alterius ex hiſce animantibus operationem jamdiu paſſi, ac bene valentis, enecti *abdomen* aperui, quæ ibi occurrerent quam diligentiſſime ſcrutaturus. Primum itaque *Peritonæum* ad Vulnus coaluiſſe, *Ileumque* inteſtinum ibidem adhæsum, Vulneris vero labia ad cicatricem craſſiora aliquantulum obſervavimus, præterea *Vaginale Clauſtrum* ad reſectionis locum impervium. Cætera omnino ſe habebant

ut

Digitized by Google

ut in ſtatu naturali, nullumque vel tumoris, vel inflammationis, aut laticis ſeroſi, vel ſanguinei extra vaſa ſtagnantis apparuit indicium. Quod quidem manifeſte demonſtrat nihil ab exectorum *Uteri* Vaſorum hæmorrhagia timendum, ſanguis enim ex Vulnere in cavitatem illapſus venis bibulis reſorbetur, totuſque circulationi reſtituitur.

Hic vero adnotandum, me tantum de *Utero* non praegnante ſermonem huc usque habuiſſe, cum Viſcus hoc longe a ſe ipſo diverſum, ac aliud prorſus reperiatur geſtationis tempore, tunc enim, qua arterioſa, & Venoſa vaſa ſanguinea nullatenus adparebant, & auctâ mole, & frequentiâ *Uteri* ſubſtantiam omnino efformare diceres, ſeroſis vaſis in ſanguinea converſis. Cuius quidem vulgatiſſimae

Digitized by Google

mæ rei ſequens experimentum pulchram protulit autopſiam.

Praegnanti vivae Cani mediocris magnitudinis, imminente fere partu, in idoneum ſitum, de more, diſpoſitae, vinculiſque ad arctus firmatæ longo ſatis vulnere in Medio *Hypogaſtrio abdomen* adaperui, protinuſque *ſiniſtro Uteri cornu* aliquatenus anterius recurvo e vulnere erumpente educto, *dexterum* quoque, totaque *Uteri* moles facillime e *Pelvi* educta eſt. Vinculo ad *Vaginam* iniecto, ab hac *Uterum* uno ictu ſeparavi, Vaſa autem ad *cornuum* extrema pertingentia minus caute nullis adhibitis ligaturis, abſcidi, totamque molem uterinam novem grandiusculis Catulis fœtam, quorum quatuor in ſingulis *cornubus*, alter vero in ipſorum communi veſtibulo ho-

ſpi-

ſpitabatur, in vas aqua ad naturalem animantis calorem tepente plenum inieci, ubi contentorum animalculorum vitæ, motu vario non iniucunda ad longum ſatis tempus præbuit indicia. Tanta vero fuit pleni hujus *Uteri* moles, ut Matris totius pondus pene adæquaret, abdomenque vacuum nec *inteſtina*, nec viſcus amplius ullum continere illâ exemptâ videretur. Sed ut ad fœmellam redeamus, demolitione vix dum peractâ, curam omnem adhibui ut *integumenta*, *muſculoſque* per vulnus diſciſſos idoneâ componerem ſuturâ; his rite peractis animal ſuo juri relictum. Primâ & alterâ die, licet ab omni cibo, potuque abſtineret, oculorum vivacitate, & corporis, mobilitate non levem priſtinae valetudinis recipiendæ ſpem præbuit, verum mœſta ja-

cens

cens tertiâ die anhelavit, quartâ periit. *Pulmones* inflammatos in *Thorace*, in *Abdomine* magnam vim ſanguinis collectam obſervavi.

Hinc ſola hæmorragia mortis cauſſa, licet non immediata, dicenda; Vaſa ſiquidem ad *Uterum* pergentia, quæ ſunt reſecta, calami Scriptorii craſſitiem ſuperabant, quæ ſi idoneis vinculis ante ſectionem conſtricta fuiſſent, non levis adcederet coniectura tanto ſanguinis diſpendio prohibito, fore ut animalis vitæ proſpectum eſſet. Quod quidem obiter monendum erat, ne inanis hæmorragiæ metus ab id generis tentaminibus timidiores deterreret animos.

Quod vero attinet ad *Ovaria*, ſupervacanea de harum ablatione duxi experimenta, cum ea vulgo impune in

por-

porcarum caſtratione, atque in ipſis Venaticis Canibus fœmellis abſcindi in Anglia ratum compertumque ſit.

At licet ſuperius recenſita tentamina votis noſtris ſatis abunde reſpondiſſe videantur, haud tamen de ſecando humano *Utero* per *Abdomen* conſilium ita indubium, tutumque reddunt, ut experimentum proponere, ne dum tentare in hominibus auſim.

Oportet enim, antequam id ad hominum utilitatem trasferatur, innumeris experimentis cum in animantibus parvis, tum in magnis, iiſque forma hominibus quantum licet ſimilioribus, veluti in Simiis eſſe confirmatum. Præterea animadvertendum multa requiri tum ad Morbi cauſſam, ſedem, naturam, progreſſus ſpectantia, res namque eſt

C periculi

Digitized by Google

periculi plena nova, & adhuc intentata ſuſcipere, ubi de humana vita quaeſtio ſit.

Licet enim ex *Sorani* ſententia, & *Avenzoari* (1) minime ad vitam Viſcus hocce neceſſarium cenſeatur, quinimmo & procidere, & praecidi illaesâ Fœminarum vitâ *Themiſon* literis (*Teſtante Riolano*) demandarit, idque *Aetius* (2) & *Paulus* ab *Aegina*, *Matthaeus* de *Gradibus* (3) *Nicolaus Florentinus* (4), *Marcus Gattinaria* (5), *Berengarius Carpenſis* (6) *Langius* (7), *Benivenius*, *Silvius*, *Zacutus*

(1) Lib. 2. Trat. 5. Cap. 171.

(2) Tetrab. 4. Serm. 4. Cap. 76.

(3) Com. ad Cap. de exitu, & diſp. Mattr. Lib. 9. Rhaſis ad Almanſorem.

(4) Serm. 6. Trat. 3. Cap. 26.

(5) Com. ad l. c. Rhaſis ad Almanſorem.

(6) Iſag. Anat.

(7) Epiſt. 39. Tom. 2.

Digitized by Google

tus (1), *Paræus* (2), *Eſaias Meichſnerus*, *Franciſc. Rouſſetus* (3) *Senevoi.*(4) *Babuin* (5) experimentis confirmaſſe in ipſis fœminis videantur; haud tamen ipſorum auctoritati nobis eſt acquieſcendum, cum id generis ſcriptores plerique maxime omnes in eam ſententiam inciderint, nempe *Uterum* prolabi (6) facillime, & impune poſſe in mulieribus. Quod quantum a veritate recedat, extispicia ſatis ſu-

(1) De P. P. Med. Hiſt. Lib. 3. Hiſt. 7. & Lib. 3. Sect. 10. Cap. 10. Art. Med.

(2) Lib. de hom. gener. Cap. 41.

(3) De P. Cæſ.

(4) Obſ. 3.

(5) Huiusmodi amputationum Hiſtorias Collegit, H. de Heerſ. v. Hall. Phyſ. l. 28.

(6) Celſi temporibus, prout ex ejus præfat. l. 1. licet coniicere *Uteri*, ſeu verius *Vaginæ* prolapſus pro novo morbi genere habebatur.

ſuperque confirmant: (1) adeout mirandum maxime ſit *Ruiſchium* celeberrimum caeteroquin Virum, ac ſapientiſſimum allucinatum fuiſſe, ubi (2) *Uterum* procidentem ſcirrhoſum ſe reſecaſſe ſcriptum reliquit, cum ex eadem deſcriptione *Vaginam* abſtuliſſe comperiatur; illud autem vero verius eſt quandoque in diſſectionibus anatomicis fœminas *Utero* carentes fuiſſe repertas teſtantibus magni nominis Auctoribus.

Quibus omnibus rite perpenſis illud in praeſentiarum adferere non dubita-

(1) In omnibus cadaveribus mulierum, certo ſæpe *Uteri*, ut vulgo cenſebatur, prolapſu laborantium, quæ in Reg. Noſoc. ſecui, totus *Uterus* omnino in naturali ſitu fuit Quidquid vero e *pudendis* propenderet, id a ſolis membranis *Vaginam* conſtituentibus mirum in modum laxatis evenire compertum eſt.

(2) Theſ. Anat. Obſ. 7.

Digitized by Google

tarim *Uterum* quidem vitæ humanae nequaquam eſſe neceſſarium, ſed non niſi multiplici id generis experimentorum ſerie nos poſſe certiores fieri an liceat illum impune ab humano corpore evellere, quod forte felicior aetas obtinebit. Nobis vero in Animantibus ſpecimen dediſſe ſit ſatis.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE REGENERATARUM
PARTIUM LEGIBUS
ET
CICATRICIS NATURA.

MULTA Veterum cogitata de Vulnerum vegetatione ac partium accretione apud Scriptores tum Graecos, tum Latinos, Arabeſque reperire eſt Medicam Hiſtoriam perluſtrantibus; verum cum haec omnia demonſtrationibus penitus deſtituta, inter ſomnia annumerari poſſint, aut ſaltem inter hypotheſes, ab experimentis or-

Digitized by Google

ordiendum eſſe ratus, quae ſubſequuntur tentamina inſtitui, iiſque tamquam fundamentis, ſententiam, quam in Opere Chirurgico ſum ſequutus, ſuperſtruxi.

Adulto Agno totam integumentorum portionem dempſi ſcalpello horizontaliter in Clunem ſiniſtrum adacto, ita ut vaſtam ſatis Vulneris haberem aream. Per hujus itaque ambitum ad duarum linearum a margine diſtantiam complura ſtigmata aquâ forti nigro infectâ colore inuſſi, phaenomena ad integram ulceris conſolidationem ſollicite exploraturus.

Primum itaque obſervanda ſe obtulit areae vulneratae amplificatio, exciſis *fibris* a centro recedentibus unaque inflictis ſtigmatibus, quae tamen eamdem fere a vulneris margine diſtantiam ſervabant; Dein Expleto Inflammationis, & ſup-

Digitized by Google

& ſuppurationis ſtadio, pro ſegni licet Vegetationis progreſſu, Vulneris circumferentiae imminutio, fibris ſeſe producentibus, & ad areae Centrum accedentibus, uti ex maculis eumdem locum, & a margine diſtantiam ſervantibus erat colligere.

Mox humoris gelatinoſi ſecretio ex ambitu primum dein ex tota vulneris areola hinc inde prodeuntis, qui abunde fuſus brevi denſatur atque in duram abit cicatricem; demum areae vulneratae ratio ad Cicatricem, quae inventa eſt ſe habere ut tres ad unum. Adnotandum vero eſt hoc in tentamine repetitis combuſtionibus cautum fuiſſe, ne evaneſcente nigredine ſtigmata obliterarentur.

Eadem obſervandi opportunam dedit occaſionem vulnus a cancro in Ca-

Digitized by Google

nina mamma exciſo exortum, quo probe conſolidato, & ad cicatricem perducto vulneris aream ad Cicatricem proportionem eamdem habere deprehendimus. Saepius autem id mihi videre contigit, & in aliis canibus, in quibus *carcinomata* ferro extirpaſſe oportuerat.

Nec illis, quae huc uſque in brutis ceperam, experimentis contentus, jam ab an. 1766. cum in Regio Noſocomio ſexagenario homini tumorem mobilem, durum, indolentem, circumſcriptum in genu, rotulae totum ambitum occupantem ſectione ad baſim paralella abſcidiſſem, quem tumorem oſſea ſubſtantia refertum reperi, quatuor leviſſimas inciſiones, hinc inde ad duarum pariter a Vulneris margine linearum diſtantiam lanceola inflictas, lapidis infernalis attactu in nigerrimos

Digitized by Google

mos redegi naevos, qui mihi pro definienda diſciſſorum vaſorum in vulneris cavum progreſſione certiſſima darent indicia. Profecto, & in hoc caſu vulneris area in majorem ambitum excrevit, quam ſimplex tumoris ablactio tuliſſet, marginibus circumquaque a centro una cum ſtigmatibus recedentibus; peracto dein brevi ſuppurationis curſu, circumpoſitas fibras cavi centrum petere, ſecumque nigras notas trahere manifeſte obſervatum eſt, ita ut ſuppurati Ulceris partes tres, organica ab elongatis abſciſſis fibris, vaſiſque impleret fabrica, unam vero ab effuſo glutinoſo latice dura inorganica cicatrix.

Eadem prorſus ſuperius recenſita phaenomena animadverti in curatione vulneris hominis quinquagenarii in Noſoco-

mio decumbentis, cui in dextero *genu* antiquam ſtrumam mole inſignem abſcideram, naevis pulchre notantibus partium circumſtantium elongationem in Ulceris centrum; proportio autem Vulneris ad cicatricem eadem fuit ac ſuperior. Simili modo, cum Iuveni Florentino macilento, Bubo venereus in ſiniſtro *Inguine* ſuppuratus ſponte rumperetur, amplumque, corruptione viciniam late vaſtante, enaſceretur ulcus, omnino eadem, quae ſupra occurrerunt animadverſa, idque ſolum diſcriminis, deprehenſum, Ulceris ſcilicet diametrum ad diametrum Cicatricis ſe habere ut ſex ad unum.

In alio quoque Iuvene Suburbano poſt tumoris indolentis, qui a pluribus menſibus medio exteriori dextero *bra-*

chio

Digitized by Google

chio inſidebat, excisionem, non aliter quam ſupra dictum eſt, res ſe habuit, ſed magnitudo vulneris triplex tantum inventa eſt cicatrice. Eademque proportio ſervata eſt in curatione magni vulneris, quod Ruſticus in externa femoris parte ab affricto axe plauſtri ſuſceperat (1).

Sancitis a Natura in partium regeneratione legibus expoſitis, nunc ad Cicatricis indolem pertinentia experimenta, ſuperſunt perhibenda.

Varias ideo denſiſſimarum Cicatri-

(1) In hoc naturæ opere duo præſertim notatu digna obuerſantur Philoſopho, nempe ſegnior vegetatio quò magis ad centrum adcedit, & ratio cicatricis ad vulnus, quæ quidem conſtanti lege varia eſt pro vario partium ſitu; nempe quo laxiora ſunt *integumenta* quemadmodum in *abdomine* in *articulationibus* &c. eo maior quoque eſt ratio vulneris ad cicatricem.

tricum e vaſtiſſimis, profundiſſimiſque ulceribus enatarum portiones tum recens e Cadaveribus depromptas, tum diuturnâ maceratione digeſtas quam diligentiſſime luſtravi; in ipſis vero, microſcopiis exquiſitiſſimis in uſum advocatis, nihil omnino aut fibroſae, aut vaſcularis ſtructurae detegere licuit, quod organicam earum fabricam argueret, ſed denſati glutinis, calloſae ſubſtantiae apprime ſimilis tantummodo ſpeciem referebant. Haud tamen negaverim in exiguis admodum, ac pellucidis tenuium Cicatricum velamentis capillaria aliquot vaſa ſanguinea ſubreptantia apparere, ſed haec ad ſubiectas verius partes, quas Cicatricis pelluciditas conſpici ſinit, referenda ſunt.

Ne-

Digitized by Google

Neque huic profecto obſervationi officit quidquam quod a multis in Cicatrice oſſium fractorum, meque ipſo in grumo oſſeo a rupto femore fuit obſervatum, ſcilicet denſatum per gluten nonnulla vaſcula ſanguinea adparere quandoque, nam præterquamquod id rariſſimum oſſervatu eſt, vaſcula illa memorata adhuc liqueſcente glutine, nec in cruſtam oſſeam concreto, in Cicatricem ſeſe produxiſſe nihilque ad organicam conferre ſtructuram, credenda ſunt.

Poſt verae ac denſae Cicatricis fabricam qua licuit arte ac diligentia exploratam, quae de ipſius inſenſibilitate inſtitui tentamina, ſit fas proferre.

Hominem in Regio Noſocomio chronico affectu decumbentem pronum in lecto jacere juſſi, dein latam denſamque

Digitized by Google

ſamque cicatricem, quam jampridem oſſi quod dicunt *Sacrum* inſidentem geſtabat, ſcalpello normaliter adacto leviter pertuſi, quam puncturam aliquis doloris ſenſus ſubſequutus eſt, verum, ne quidem tangi ſe intelligebat ſi ferrum obliqua directione in Cicatricem fortiter etiam infligeretur.

Eodem fere tempore ſimile quid ſum expertus in alio viro, in Noſocomio degenti dum a vaſto vulnere in exteriori ſiniſtri cruris parte convaleſceret, necnon in fœmina cui copioſa ſuppuratio in ſiniſtro femore non exiguam muſcularis ſubſtantiæ vim deleverat, unde denſa ſatis, ac rugoſa Cicatrix accreverat; Talium etenim Cicatricum ſuperficiem digitis affricando vel & oblique pungendo nulla inde tactus aut puncturae oborta ſenſatio.

Digitized by Google

Sed & in animantibus tentamina iterata ſunt, amplo ſcilicet vulnere in Ovis Clune ſanato, & ad Cicatricem perducto, obſervatum tremere quidem circumpoſita integumenta, ſi quando Cicatrix peteretur cuſpide ad perpendiculum adacto, quieſcere autem omnino cum, iteratis licet ictibus, obliquâ ſcalperetur directione.

Aquâ pariter ſtygiâ variis Cicatricis inciſionibus immiſſa nullius ſenſationis indicium non pridem excitare viſa eſt, quam Cicatricis terminos Cauſtici vis fuerit tranſgreſſa; ſaepiſſime vero in Canum deditâ operâ ſauciatorum Cicatricibus renovatum hoc experimentum non diſſimilia memoratis praebuit obſervanda.

Digitized by Google

Experimenta huc uſque recenſita inorganicam, atque inſenſibilem veræ cicatricis ſubſtantiam luculenter demonſtrant: Cum vera & exquiſita cicatrix non a productis vaſis, fibriſque jam diſciſſis, ſed a Glutinis tantummodo in ſuperſtitem Vulneris areolam effuſione, coaleſcat.

Hiſce perſpectis in ſuſpicionem veni an ne, quae in frigidis animantibus reproduci membra vulgo dicuntur, iiſdem legibus cauſſisque regantur.

Quapropter medio Aprili an. 1768. Lacertas complures caudâ, ad varias ab apice diſtantias obtruncatas, ſingulas vaſis vitreis incluſi recenti gramine, & triticeo furfure alendas. Primis diebus, recedentibus integumentis aream vulneris majorem deprehendimus, quam quæ a caudæ

de-

Digitized by Google

demolitione provenerat in convexam aſſurgentem ſuperficiem. Succeſſive vero aracnoideo veluti obducta velamento colore ſanguineo tingitur, qui brevi tempore expalleſcit. Die circiter duodecima vulneris area valde imminuta eſt *integumentis* vulneris planum excedentibus, ita ut convexa ſuperficies vulnerum in cavam mutaretur. Tunc humor glutinoſus e lateribus in cava affundi, ac in areae centro denſari, qui magis magiſque increſcens pyramidis ad inſtar e vulnere aſſurgentis in breviſſimam caudam abibat. Dum vero in productis *integumentis* veteres decidentes ſquammulae novis concederent locum, iiſque ſubtilioribus coloriſque cinerei, integrae regenerationis obſervandae ſpem totam, ademit animalculorum interitus, quæ omnia vel ob pabuli

Digitized by Google

ineptitudinem, vel ob libertatem amiſſam Menſe Majo exeute atrophica periere.

Parvas haſce regeneratas caudas tum oculari, tum Microſcopica inſpectione, quam diligentiſſime exploravimus, atque in illis inorganicam prorſus, mucoſamque ſubſtantiam nullis interpoſitis vel fibrarum, vel vertebrarum indiciis omnino deprehendimus.

Hiſce ab experimentis induci poſſe eadem, quae a tentaminibus in homine calidiſque animantibus patratis eruebamus, nemo non videt, verum quam varietatis ſtudioſa natura ſit, ex iis, quae ſubſequuntur experimentis in Cancris deſumptis luculenter patebit.

Anno etiam 1766. complures cancros duriſſimos, queis varias ę variis cruribus phalanges praecideram, diſtincto ſin-

Digitized by Google

ſingulos carcere cuſtodiebam, quae inde ſequerentur obſervaturus. Primis diebus, in omnibus dearticulationum cavis prodiit cruſta coloris ſubcaerulei, quæ eo minus aſſurgere viſa eſt, quo articulatio cui inhaerebat magis e trunco diſtabat, caeterum nihil praeterea obſervandum fuit toto experimenti decurſu.

Quo autem loci *phalanges* ab ipſo animalis trunco fuerant avulſae triginta ferme dierum ſpatio cruſta ſupramemorata a ſuppoſita ſubſtantia in ſphaerae ſegmentum ſe attollente tandem depulſa eſt. Interea nova hæc exuberans materies paulatim accipiens incrementa in conicam prominentiam ad quatuor linearum longitudinem excrevit. In hac novarum juncturarum indicia praebebant ſurculi angulares, ad axim con-

ver-

vergentes, attamen numerum ablatarum *phalangum* non æquantes. Hiſce in riproductis artubus irritabilitatis, motuſque primordia deprehendimus, quorum ne veſtigium quidem in Lacertis offenderamus.

Caeterum cum autunnio ſuperveniente Cancri omnes, quos ſervabam poſitis involucris mollitiem ſummam adepti eſſent, ulteriora obſervandi tunc temporis negatum.

FINIS FASCICULI PRIMI





.Cingulum in loco Reſectioniſ.

a.

Digitized by Google

Digitized by Google

00564447

Digitized by Google